GREGORIUS I. MAGNUS
Österreich (?), 1. Hälfte 9. Jh. Seite 249r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36640
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek



sese imperfectos inueniunt. qui non pulsati perfectos se esse
crediderunt. Qua ex re agitur. ut ad semetipsos se colligant et
apud se taciti obprobrium suae infirmitatis erubescant. atque
ex ipsa sua confusione reuocati contra aduersa patientiam
opponant. et ex tribulatione proficiant qui prius in ocio ex ip
sa sua securitate torpebant. et ueraciter esse tales incipiunt.
quales se esse prius inanitur putauerunt. Hi itaque cum a portis exteri
oribus usque ad interiorem portam per boni studii atrium deferuntur.
hoc ipsum in eis atrium per centum cubitos mensuratur. quod dilatione et
exercitio in sancta cottidie perfectione proficiunt. Et cottidiana
enim desideria in mente proficit. quasi centum est cubitis interius atrium
mensurari. Ideirco ergo a portis usque ad portam centum sunt cubiti. ut quasi
quaedam mora sit eundi ipsa dilatatio uiuendi. per quam cottidie
in uirtutibus crescitur. ut ad interiorem aditum perfectius perueniatur. Sequitur.
Et duxit me ad uiam australem. et ecce porta quae respiciebat
ad austrum. et mensus est frontem eius et uestibulum eius iuxta superiores
mensuras. et fenestras eius et uestibula in circuitu. sicut fenestras
ceteras quinquaginta cubitorum longi
tudinem. et latitudinem uiginti quinque cubitorum. et in gradibus
septem ascendebatur ad ea. et uestibulum ante fores eius.
Cuncta haec in orientis et aquilonis porta iam dicta sunt.
et congruum non est. ut ea quae semel ac secundo exponentes dixi
mus sepius replicemus.
Notandum tamen nobis est. quia in spirituali aedificio alter aditus
ad orientem. alius ad aquilonem. atque alius ad austrum
patet. Sicut enim aquilonis frigore peccatores. ita per austra